

V VOLFFGANGVS LAZIVS HISTORICVS REGIVS.



Volffgangus, patre Simone Lazio Medico doctissimo, in Austria natus & educatus est. Hic cum felici ingenio esset præditus, parentis cōsilio operam literis dedit, & in uirum doctissimum euasit. In primis autem Historias amauit, & res abstrusas patefacere statuit. Adiecit etiam Philosophiae & Medicinæ studium, in quibus adeò proficit, ut Doctoralia insignia impetrarit. Postea animum ad scribendum appulit, atq; Austricæ prouincias suis scriptis plurimum illustrauit. Nam & Archiducum Genealogiam composuit, & res Vienensis doctissime explicauit. Hinc inde quoq; ex superioris Germaniæ monasterijs delitescentes

authores conquisiuit, & sua opera restitutos in lucem ædere statuit. Id cum Ferdinandus Cæsar cognouisset, eum suum Historicum constituit, & in eque strem ordinem assumpit, tribus aureis alaudis, veterum Austricæ marchionum insignibus, adiectis, preciosam insuper uilloſi serici uestem donauit, Anno circiter 1545. Itaq; Vuolffgangus ea Cæfaris clementia incitatus, multò diligentius Historias perlegit, & Germanorum uirtutes egregiè manifestauit. Cum hoc modo sibi apud omnes doctos magnum nomen comparasset, tandem anno reparatæ salutis humanæ millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, iam quasi quinquagenarius, Vienæ obijt, & honorifice sepultus fuit. Con. Lycosth. Anon.